1. Tragicocomoedia de Hierosolymitana profectione illustr. ducis Pomerani .... a Johanne de Kitscher. Stettin. 1594. 40 Seiten.

2. (Zur Hochzeit von Joach. Jos. Rango und Cath. Elis. Wolffrahtin) de Ranganianae gentis .. splendore. von Jo. Guil. Pfennigk. Lübeck 1698. 44 Seiten

3. Joach. Fabricius, Leichenpredigt auf Joh. Micraelius. Stettin 1657/8 72 S.

4. Kurtze Abdanckung Ludovici Jacobi " " " u. Verzeichnis von Micr. Schriften (seit 1616) 8 S.

5. Henr. Schaevius, monumentum literarium " 8 S.

6. Monumentum .... Micraelio ... ab amicis ... Pyricensibus positum. 8 S.

7. Ultimum officium ... manibus ... Micraelii .. sacratum ab amicis ..... 8. S.

8. Cupressus .. manibus ... Micraelii .. erecta a Frederico Reimero 4 S.

Domus Micraeliana cum cognato lugens 8 S.

9. Laurea lugubris honori supremo .... Micraelii ... victa et plexa a suis discipulis 20 S.

10. Bustum .... Micraelii ... lachrymis fautorum, affinium et amicorum madidum. 16 S.

11. Francisci Wokenii .... Beytrag zur Pommerschen Historie ..... Leipzig 1732. 266 S.

(11a) Lud. Aug. Würffelii ... dissertatio .. de vena Pomeranorum poetica. Greifsw. 1738. 8 S.

12. Wilh. Engelken, Einweihungs-Predigt bei Wiedereröffnung der Marien-Kirche in Stargard. 1661. Stettin 1661. 82 S.

13. Friderich Wagner, Lacrymae Stargardiae .... Danck... Predigt ... beym hundert-jährigen Andencken der ... Einäscherung ... Stargards 1635. Stargard 1735. 38 S.

14. Stargaris oder der Stadt Stargard Glück- und Unglücks-Fälle in einem Schau-Spiel vorgestellet v. M. Christophoro Praetorio Alten-Stettin 100 S.

15. Christoff Heinrich Rüelen, Merckwürdige Himmels-Gestalt: oder Astrologische Gedancken über die vier Neben-Sonnen, welche sich ... den 14. Jun. des 1667 sten Jahres in Stargardt ... haben sehen lassen. Alt-Stettin 1667. 68 S.

16. Hundertjähriges Ehren-Gedächtniß Herrn Peter Grönings ... aufgerichtet von M. Daniel Gottfried Werner. Stargard 1733. 8+96 S.

17. Herrn ... Petri Grönings .... Testamentliche Donation ad pias causas. Publicatum Stargard in Curia den 12. Martii Anno 1631. Gedruckt daselbst ... 1680. 24 S.

18. Jod. Andr. Hiltebrandt, Verzeichniß der Hirten nach Gottes Hertzen ... ~~Stargard 1724~~ Alten Stettin 1724. 8+24+80 S.

19. Nic. Michaelis, Stamena Gryphicum, quo necessitas ... Greifswaldiae anno liberationis suae 1631 exprimitur. Gryphisw. 18 S.

20. Alb. Georg Schwartzen ... Historischer Begriff vom Ursprung der Stadt Greyffswald. Greifswald 1733. 100 S.

21. Alb. Georg Schwartz .. Verkündigungs-Schrifft (zum 500 jähr. Best. der Stadt Greifswald. Anbey ... von dem Alter

und Ursprung der Teutschen Städte insgemein, wie
auch der Pommerschen und Rugianischen insonderheit
handelt. Greifswald (1733). 8 S.

22. Albert Georg Schwartzen ... Einleitung zur Pommersch-
Rugianischen Dörffer-Historie. Erster Versuch vom
Lehn- und Ritter-Guth Ludwigs-Burg. Greifswald
1734. 8+28 S.

23. Laur. Matth. Baumann, de templo arcis Stolpensis
... anno 1702. 12 S.

BUSTUM

VIRI ADMODUM REVERENDI, AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS MICRÆLII,

S.S. THEOL. D. AC PROFESSORIS, PÆDAGOGII STETINENSIS REGII RECTORIS.

Cum is annos natus LXI. III. Non. Decembris Anni currentis, memoriam mundo linquens immortalem, post placidum in suo Jesu discessum, XIX. Cal. Januarii terræ matri mandaretur,

LACHRYMIS

FAUTORUM, AFFINIUM ET AMICORUM,

MADIDUM.

STETINI,
Typis GEORGII GOETSCHII, Reg. Pædag. Typogr.

Affinis non *parvus* eras, sed *magnus*, in orbe,
MICRÆLI, nobis, dum tibi vita data est.
Ingenio magno pollebas, judicioq;
Magno, qvod clarè publica scripta probant.
Te magnum venerabantur juvenesq; senesq;,
Magna in te qvivis dona perîsse videt.
Admiror sanè permagnam sedulitatem,
Qvâ juvit doctis invigilare libris,
Perdius & pernox volvebas scripta Sophorum,
Erudiendo alios dexteritate gravi.
Magna salus tibi erant sacra Biblia, magna voluptas,
His perscrutandis entheus ardor erat.
Te magnum semper celebrabunt secula, qvotqvot
Abs te lustrabunt edita scripta, virum.
Omnes discipuli graviter tua funera lugent,
Te deflent meritò templa scholæq; simul.
Magnates nostri magnum cecidisse fatentur,
Qvos & post obitum Te coluisse juvat.
Te viduata domus lacrymis deplorat acerbis,
Privata auxilio consilioq; tuo.
Ipse ego jure tuum discessum defleo, paucis
His verbis luctum prodo subinde meum.
Collega, Affinis, Vicinus, Compater atq;
Frater percharus morte peremtus abest!

Sic supremum honorem collacrymans
testari voluit, debuit,

JOACHIMUS FABRICIUS, D.

MIllibus è multis MICRÆLIUS *occidit unus,*
Præ qvibus hic unus vivere dignus erat.
Mille viros alibi, parit hîc Pomerania mille,
Vix tamen invenias, huic peperisse parem:

Cujus

Cujus ab excessu sua si benè damma juventus
Noverit, ætatem qvod miseretur, habet.
Imò senes pariter lugent; solumq; manebit
Certamen, tangat qvos magis iste dolor.
Complorant Musæ; si DIs qvoq; flere liceret,
Illicò funereas funderet æther aqvas.
Sunt, qvorum Pario conduntur corpora busto,
MICRÆLI patriæ conditur in LACRIMIS.

PRIMARIO SECULI VIRO,
Amico veteri supremum
honorem exhibiturus
mœrens posuit
JOACH. V. Hammerstedt/
Consist. R. St. Vice-Director.

FAbricium Bohlius seqvitur, Micrælius illos,
Qvæ, qvalis cecidit, qvantaq; Triga Virûm?
Posteritas illud, si qvæ ventura, notabit,
Qvo magè sentiscet publica damna, velut
Nos ea sentimus, qvos sangvis junxit, & inde
Exsurgens luctus scribere multa vetat.
Interea ingressi Templum hoc Cathedrale, qviescunt
Dicite io hîc *Charites*, *Trigaq; magna Virûm*.

SUO
multis de causis MICRÆLIO *inter lachrymas & occupat.*
LUDOVICUS JACOBI, D.

M*ICRÆLI Ab abis? Et linqvis me FRATER amande?*
Æger ego ipse viam nuper meditabar eandem,
Parcere sed jamnum PARCÆ mihi velle videntur
Ad tempus. Vel qvando seqvar! Dîs Fata ministrant.

Hoc unum nostrum: Mortalibus ultima Mors est.
Seu citò seu serò MORTIS venit hora, perinde
Vivimus aut morimur, MUNDUS vix respicit acta.
Omnia sint ejus vaga, crebra oblivio facti
Sint benè facta licet, tanta est corruptio mentis:
Raræ etenim meritis stant magno pectore grates.
Scilicet hic MUNDI mos est. Sed non ita noster
Exeat hoc MUNDO DOCTOR MICRÆLIUS. Umbra
Non fuit hic rerum; sed splendidioris ad ævum
Corporis exemplar vivum, qvem desuper astra
Alis expansis multis evexit ab annis
Fama potens, celebrant fulgentia scripta per orbem.
Qvæ statuent monumenta VIRI virtute corusci.
Insuper æternùm vivit MICRÆLIUS, altis
Victor ovans cœlis, terræ pertæsus inertis
Cœlicolas inter jam JOVÆ altaria circum
Æternis hymnis TER SANCTI NUMEN adorat.

Ita condoleo magnô cordoliô in obitum præclarissimi VIRI Collegæ & Fratris peramandi

JOAN Sidtman/ U. J. D. & Profesf. Reg.

FABRICIUM MAGNUM seqveris nunc, MAGNE MICRÆLI,
Alter Thēologûm Phosphore, Ocelle, Decus,
Contremuêre Domus, Schola, Templa, & docta Virorū
Turba, Sacerdotum, Thēologûmq; Chorus.
Eloqvar, an sileam? mens contristata stupescit,
Voxqvè hæret tremulis faucibus ima meis.
Ingemino, Heu cecidit VIR MAGNUS! Qvæso dolete
Tantum Templa, Scholæ, Curia, & Aula, Virum.
Tumbam multorum qvi ornâsti, MAGNE MICRÆLI,
Qvis nunc ornabit post tua fata, Tuam?
Nullius hancce satis qvit lingva ornare, fatiscit
Impar vena tuis Viribus Elogii.

Qvi

Qvi fuit in toto MAGNUS MICRÆLIUS Orbe,
Is nunc est multò MAJOR in arce poli.

Adposuit mœrens supremi Muneris Ergô
CONRADUS Bolte/ *D. Scabinat. Stetinens. Adsess. ac Senior.*

SIccine Micræli docto te proripis orbi,
Et tot funeribus te sociare voles?
Lumen eras, fateor, nostri vir clare lycei:
Et fulcrum nostræ relligionis eras.
Tolle solo solem; domui sua fulcra, qvid inde
Exspectes præter excidium & tenebras?
Tu sed summe Deus! procul hinc scæva omina flecte;
Et porro felix Gymnasium esse jube.
Nutantiq; simul, fulcroq; & lumine ademto,
Lucem redde novam, fulcraq; redde nova.

Georgius Kirstenius, D. Prof.

Johannes Micrælius Doctor.
per ἀνάγραμμα.
Ah! nisi miles Coronæ ductor.

AH perIt en DoCtor noster MILesqVe PotentIs
Christi ac Lutheri vis rediviva perit.
Qvis? nisi Theiologûm decus ac insigne Sophorum,
Militiæ ductor *currus eqvesq; sacræ.*
Occidit ah citius celeberrimus ille Professor
Gymnasio in celebri, qvod Pomerania alit.
Occidit ah Magnus noster MICRÆLIUS, *heros*
Ingeniô Magnus, Magnus & eloqviô.
Vivus in hæreticos pugnabat fortiter hostes,
Pro Christo assumens arma fugabat eos;

Testantur scripta hoc passim vulgata per orbem,
Scripta, qvibus Christi gloria summa agitur.
Occidit ah Miles *fortis* ductorq; Coronæ,
Morsus Calvino, vox inimica Papæ;
Sicq; triumphando lapsus consurget ovando,
Atq; suæ pugnæ præmia lauta feret.
Ergo non periit, qvanqvam periisse videtur,
Vir palmâ vivus, vivus & Angelicis.
Pugnasti Miles, *MICRÆLI, en pulchra* Corona,
Christus qvam confert vita salusq; tua.

Incomparabili & de Ecclesia meritissimo Theologo, suo qvondam Præceptori, postea Affini, loco Parentis habito, ultimum eumq; debitum honorem exhibiturus scripsit mœrens

M. Joachimus Utecht, ad D. Nicol. Ecclesiastes.

OCcubuit Sidino Oculus Sidusq; perenne,
Occubuit nostri Gloria, Fama soli!
Occubuit toti meritis clarissimus orbi
Theiologus, Phœbus, Diva Charis, Sophie,
Cujus de Borea laus ivit didita ad Austrum,
Ivit ad Eoos, ivit ad Hesperios!
Scilicet occubuit MICRÆLIUS! Ille facultas
Doctrinæ cunctis Consiliiq; fuit:
Qvi omnia demeruit sibi devinxitq; merendo,
Et commune fuit qvi omnibus ipse Bonum.
Ergo iterumq; iterumq; fleo, & flent omnia mecum
Tam carum amissum, tam meritumq; bene
De Templis Ludisq; & in *illo* amissa tot *uno*
Hei bona! qvis fletu temperet & gemitu?

Qvo cineres Viri Magni & incomparabilis Micrælii sui qvondam Præceptoris maxime suspiciendi humectare vol.

ERDMANNUS Schwartzkopff.

Tertius

TErtius annus abit, cùm, præclarissime Doctor,
Scripsi hoc sponte velut natum Anagramma tibi:
Dat tibi cognomen MICRÆLI sangvis: at ipse
Nomine MICRELI ritè vocandus eras.
Nam velut illustrat Sol mundum lumine: sic tu
Doctrinâ & scriptis undiq; clarus ades.
SOL nitet HIC, AMNIS fluit hic: EN JURE, MICRELI,
Hæc laus, hoc nomen competit usqve tibi.
EN JURE HIC SOL es; qvi virtute arteqve lucet:
En hic est AMNIS, qvi fluit ore bene.
Det tibi, detq; tuis pater optima qvæqve Jehova,
Atqve diu terris te superesse sinat.
Cælestis niteat tibi SOL, fluat AMNIS abundè,
Dum tandem Superis associatus oves.
Non eqvidem multos superaddidit hactenus annos
Cura Dei, & tamen haud deficit ipsa tibi.
Namq; malis cunctis nunc liber es atq; periclis,
Agmine qvæ facto nos agitare solent.
Nunc verè tibi Sol nitet, & fluit amnis abundè,
Postqvam jam superis associatus ovas.
Spiritus in cœlis vivit; fama inclyta terris,
Dignum laude virum disperiisse vetat.
Interea & pupillorum Viduæq; paternam
Curam aget is, semper qvi bene cuncta facit.
Qvi bene cuncta facit, simul hîc bene providet idem
Omnibus his, ipsum qvi reverenter amant.

Honoratiss. Dn. Compatri suo & amico veteri f.
M. ERICUS PELSHOFER, S.S.S.R.

INgenio Magnus MICRÆLIUS, Arteq; Major,
Atq; labore gravi Maximus occubuit!
Occubuit, verum tantummodo Corpore; Famâ
Vivit adhuc Orbi, Mente Fideq; Deo.

Qvis

Qvis nimis ergo Virum lugebit morte peremptum?
Vivit adhuc Mundo, Vivit adhuc Domino.

Meriti honoris ergo Dn. olim Collegæ, Compatri,
Affiniq; suo desideratissimo mœstus posuit

M. Martinus Bambamius, P.L. & Schol.
Sed. Sen. ConR. emeritus.

ET magnam in Domino moriendi calluit artem,
Nosq; docet, qvo sit mors superanda modo,
Qvi bene vivendi docuit MICRÆLIUS *artem,*
Felix, Stetinum, Gymnasiarcha tuus.
Philosophia *freqvens illi* meditatio mortis,
Juxta divini verba Platonis, erat.
Philosophus pius extremum non horruit hostem,
Visus at instanti est obvius ire neci.
Numinis arbitrio permittens cuncta supremi,
Nec non commendans seq; suosq; DEO.
Mente animam cœlo poscenti reddidit æqvâ.
Hîc, qvod speravit, possidet omne decus.
Qvàm bene! qvàm verè vivit MICRÆLIUS *ingens,*
Qvi bene nos docuit vivere, qviq; mori.
Hinc curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes
Discite, qvid bene sit vivere, qvidve mori.

M. THOMAS WISMARUS, Sch. Stet. Sen. ConR.

MUlti laude vehent alienæ haud laudis egentem
Micrælium, (hi Soli lumina ferre volent)
Inq; altum assurgent, & Phœbo digna loqventur:
Me dolor esse humilem, me siluisse jubet.
Clausum Helicona volo. Mirare? Micrælius omni
Laude mea major, major honore meo est.

Doloris & æternæ gratitudinis contest. causa Viro in seculi decus nato, primo sua promotori, & antehac hospiti scribeb.

M. Georgius Hübnerus, Schol. Stet. Sen. SubR.

Perdius

PErdius & pernox qvò nunc labor ille MICRÆLI,
Aut ubi jam studiis præmia digna Viri?
Jam cinis est, & de tam magno nomine restat
Nescio qvid, loculi qvod brevis urna capit.
More suo hæc vulgus. Sed qvi pulcherrima pensat
Facta Viri, contra verius ista refert:
Perdius & pernox demum labor ille MICRÆLI
Nunc recipit studiis præmia digna Viri.
Jam vivit totum qvæ gloria compleat orbem,
Qva Zephyrus, Boreas, Eurus & Auster eunt.
Hæc isti mensura viro respondet, eiq;
Par est, nec cineris funera vana timet.

Joachimus Kuetz, Sch. Stet.
Sen. Cantor.

INvida Mors miseris, si qvid videt utile, terris
Invidet, & placitos surripit ante dies.
Hunc Canonem nobis tristi Paradigmate firmas,
MICRÆLI, nostris dissociate focis.
Ingenuas ex Te feliciter hausimus artes,
Et patulâ varios suximus aure sales.
Alter Gammaliel, nostro venerabilis ævo,
Ad soleas multi conticuere tuas.
Tu multis numeris orbi prodesse valebas,
Sed Te Mors placitos surripit ante dies.
Qvi vultis post fata extollere laudibus huncce,
Dignum laude virum, sic facitote sonos:
Haud opus est multis: Major MICRÆLIUS omni
Laude erat, & Verbo vivere dignus erat.

Henricus Reineccius.

Ad piè Defunctum Dn. D. JOHANNEM MICRÆLIUM, Ejusq; Relictos.

HEu languor! DoCtor Ianus MIkræLIVs, oris
Pomeridum charus, spicula tristè subit
Horrendæ mortis, verax, affabilis omni,
Cujus non laudes auferet ulla dies.
Sic ejus virtus alios supereminet omnes,
Ante citos qvantum Pegasus ivit eqvos.
Micræli! durus, qvi non proseqvatur amore,
Qviq; Sophum vidit, Teq; sub arte tulit.
Qvid manifesta negem? qvi me tibi junxerat arctè
Qvàm mihi post obitum sæpè recurrit amor!
Sermones blandi subeunt, & labe carentes;
Occurrunt glossæ mellea verba tuæ.
Jam subit, ut, qvoties mecum tibi sermo subortus,
Protuleris rebus consona dicta SACRIS.
Jam subit, ut varias rerum causasq; vicesq;
Indagans doctos promseris ore modos.
Scilicet ingenium gravidis maturius annis
Indiderat genii provida cura tui.
Si cadat in superos livor; cœleste lyceum
Crediderim nostro Te rapuisse choro.
Nec terræ decus esse qveas, sed ut incola cœli
Accedas sanctis pars generosa choris.
Pectore sic toto voveo una voce relaxo,
Filius ut sospes sit maneatq; diu.
Filiolæq; tuæ, forma præstante puellæ,
Omnes sint salvæ, sint maneantq; diu.
Luceat in Nato virtutis imago paternæ,
Dulce tori pignus, qvi tuus ardor erat.
Amplectiq; velit vestigia recta docentum,
Qvalia jussisti, mortis agone, seqvi.

Non

Non ea vox unqvam memori de pectore lapsa,
Effugiat mentem, ast corda tenella regat.
Fecerit hoc qvando, DEUS haud sic deseret ipsum,
Divino semper numine tutus erit.
Et licet afflictum corpus VIR chare per orbem,
Gleba tuum solvat, flos velut ustus abit:
Non tamen hoc periit, sed qvando novissima clanget:
Buccina, de sicca restituetur humo.
Spiritus interea volitans è corpore lasso,
Transit ad angelici gaudia vera chori.

Otto Groskreutz, Philos. Candid.

IOHANNES MIKRÆLIVS DOCTOR.

ANno MIKRÆLI, moreris, qvem nomine prodis:
Qvis curæ cœlo Te neget esse tuo?

Collugens scribebat

Martinus Cöllerus, J. U. Cult.

HEi! desiderium patriæ pergrande reliqvit
Morte est surreptum nobile depositum.
Exanimavit enim *venerandi* crura *Micrali*,
Carus qvi patriæ, clarus honore foras.
Qvem veluti clarum speculum sua scripta politum
Exposuêre satis. Lumina jure rigent!
Qvod non ulterius datur huic perducere vitam,
Summè qvi Pileos vivere dignus avos.
Ast ea vita sat est nobis diuturna putanda,
Qvæ verâ in Christum clauditur acta fide.
Hâc & Defunctus qvoniam sua lumina clausit,
Pascitur aspectu mens & amore Dei.

Hoc adhibere licet *Gnati* solaminis instar
Qvo sacer & Flatus vos animare velit.

Lugenti animo ac calamo filialis obedientiæ testandæ gratia hæc effudit

Bartholomæus Battus, SS. Th. & Ph. Stud.

ECce meas lacrymas MICRÆLI. Qvicqvid amœnum
Musis, id periit, te pereunte, meis.
Da veniam, *venerande Pater*, qvod metra recuso
Busto, me luctus mentis egere facit.
Frustra animare chelyn, prostrato Principe, frustra,
Te tacito, in laudes nitimur ire tuas.
Immeriti meriti, MICRÆLI, suscipe testes
Has lacrymas, tumulum ad qvas fero, ploro, tuum.
Qvod tenet ingenium studiis operaq; paratum
MICRÆLI, sacrum laudibus esto tuis.
Sed concede moram & nostræ incrementa Thaliæ,
Qvæ prius ex scriptis erudienda tuis.

Has lacrymas fudit ad bustum B. D. Micrælii, sui per qvinqvennium Præceptoris & Benefactoris,

Petrus Schirmacher/ LL. Studios.

VIderat Astripotens patrii MICRÆLIUS orbis
Gloria, qvàm multos fulserat ante Viros
In terris; igitur dabitur pro munere merces
Huic ait, in Cœlis PHOSPHORUS alter erit.

Sanctis Manibus Magni Pomeranorum Theologi & Philosophi, Præceptoris qvondam haud vulgariter meriti, debuit

Ernestus König/ SS. Theol. Stud.

Plan-

PLange, Theophrosyne, Sophieq;, MICRÆLIUS esse
Desiit: hæc tristi corde locutus eram.
Pone, Theophrosyne dicunt, Sophieq;, dolorem
Nunc demum hic vitam morte peremptus habet.

Hoc qvicqvid est testandæ debitæ condolentiæ ergo lubens, sed lugens adjicere voluit, debuit

Johannes Ukherus, Stud.

COnstat, *Sancte Senex*, qvòd, dum Tibi vita vigebat,
Micrælium Te scripseris
Seu *parvum affinem*. Dudum fas nonne fuisset
Micrelium Te scribere
Seu *parvum Solem?* Fama hæc qvoq; nomina mutat,
Macrelium Te nominans
Seu *longum Solem*. Sophicum, *Vir Magne*, theatrum
Et hortulos Sionios
Qvantum illustrasti divinæ lumine mentis!
Qvot eruditis clarus es,
Qvorum tanta Tuo pendebat ab ore corona,
Hoc imbre ducta Nectaris!
SOL POMERANE cadis: Sed sic, ut sideris instar
Orbi resurgas clarior.

Sic suam erga desideratiss. olim Præceptorem pietatem Gryphiswaldiæ expressit

Urbanus Lehman/ Colbergensis.

QVos heu nunc gemitus, aut qvæ lamenta refundes,
O Pomeris, currus tibi dum rapiuntur eqvesq;:
Turbato hoc seclo meritis ubi Magnus in orbe
Qvæ tenuit statione piâ Vir castra piorum,
Nostris subtractus linqvit MICRÆLIUS oris?
Qvid deliqvisti? Qvæ Magni Numinis iram

Culpa in te movit? Qvæ tot validisſima fulcra,
(Fulcra etenim dicas, qvi dogmata rite reſervant
Cultûs divini, cum Moſe ad ſidera mittunt
Vota precesq; ſuas) hæc qvæ tibi culpa maligna
Surripit, ô Pomeris? Qvid non Heroica virtus
MICRÆLI in cœtu Chriſti doctrinaq; fecit,
Hæreticas fraudes confutans, ſancta tuendo
Dogmata? Qvid ſtudium fervens ratioq; docendi,
Tot qveîs ad Sophiæ duxit penetralia mentes,
Non meruit? tot qveîs ad ſummos vexit honores,
Qvarum nunc populis pars leges juraq; figit,
Pars alacres campis pugnanda ad prælia ducit,
Diſponitq; acies, rurſus pars magna Tribunal
Juſtitiâ regit, & ſacra pars Myſteria pandit
Et Sophiæ dotes? Horum ſed laudis origo
Qvæ niſi rara qvies fuit, ingeniumq; MICRÆLI?
Sed proh! juncta decem cum ferret tertia luſtra
Denegat hoc radios virtutis ſpargere Lumen.
O utinam poſitas vitæ tranſcendere metas
Ulterius mundo prodesſeq; fata dedisſent!
Tu, *Pomeris*, gemitus: facias lamenta, *Stetinum*.
Et tibi pro meritis, ô vir ſuper aſtra locate,
Cura Dei cedet famam laudesq; perennes.

Lugens hæc ſcripſ. Roſtochii

Petrus Kiwidtius, Stet. Pom.

AD FILIUM.

NOn ſic ſperasſem, non ſic, turbate MICRÆLI
Involvi peplis gaudia cuncta tua.
Non ſic ſperasſem, non ſic, dirisſima fata
Jam ſubito patrem ſurripuisſe tuum.

Qvi

Qvi non propterea mœreret, ferreus esset,
Cum tibi cum multis hic casus officiat.

Condolentiæ ergo scrib.
Abraham Battus.

Ach daß sich Wasser-Bäch' in meinem Häupt ergössen!
Ach daß sie ohne Maß durch meine Augen flössen!
Damit doch immerfort die Zehr'n auf meinen Wangen/
Für grossen Hertzeleid / viel tausend möchten hangen.
Ach daß sich Angst genug und Klagen bey mir fünde!
Ach daß sich öffneten des Traurens alle Gründe!
Damit ich könte recht beweinen und beklagen
Der Menschen Sterbligkeit/ und derer schwere Plagen:
Deñ sieh' bald grünt der Mensch/ der Tod bald zu ihm dringet/
Vnd ihm ohn all'n Verzug ins Haus der Knochen bringet.
So ist auch dieser Mann vom Tode weggeraffet/
Der da bey Lebens Zeit viel Nutz und Guts geschaffet.
Doch Er stirbt nimmermehr/ weil Fama schönster Wagen
Jhn wol auf dieser Welt wird löblich herumtragen.
Er lebt bey JEsu Christ/ der in die Welt gekommen/
Vnd dem Tod seine Macht am Creutzes Stam̃ benommen.

Mitleidend setzet dieses wenige
Daniel Kansdorff / *S. P.*

SI qvis erat vatis Cumææ secula dignus
Vivere, defunctus vivere dignus erat,
Vir fuit iste Deo charus, famaq; per orbem
Cognitus, & patriæ lucida stella suæ:
Sed fuit! hunc rapuit nobis mors atra. Sed ohe!
Non periit, qvoniam nescius ille mori.

Sidera

Sidera mente adiit, defuncti terra cadaver
Suscipit, extremo huic restituetq; die.
Fama per extremas se subvehit inclyta terras,
Nempe per Eoas Hesperiasq; plagas?

Debitæ observantiæ & condolentiæ ergo
beatissimo Dn. Doctori, apponebat
Johann Joachimus Zeuner.

NOn tua fata fleo, qvando rutilantia scandis
Sidera, & illustri degis in arce Poli.
Pro vitâ miserâ qvod lætum vivis in ævum,
Pro multis lacrimis gaudia mille capis.
At Me, qvos terris linqvis cum sangvine natis
Heu! mihi conjunctis Mors tua flere jubet.

In luctuosum sui Avunculi Magni obitum effudit
Jacobus Fabricius.

CErnimus, Aonides longæ indulgere qverelæ,
Dum cadis, & lugubres edere voce sonos.
Cur ego non potius tua tristia funera plangam,
Et fidum doleam mî cecidisse, PATREM?

Accinit pietas filialis
Joachimi Fabricii.

SIc vita est hominum. Citra discrimina cunctos
Lurida cervicem stipite Parca premit.
At PATER haud moreris moriens, sed vivere vitam,
Incipis in cœlis, qvam tibi Terra negat.

Hæce lugente animo apponit
Johannes Fabricius.